AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS
Göttweig (?), 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sui ad hoc in et obliuionem in memoria mea ut non
obliuiscar. Vtrumq; ab surdissimum e. Quid illud tertium.
Quo pacto dicam imaginem obliuionis teneri memoria
mea. non ipsam obliuionem cum ita memini. Quo pac
to hoc dicam. quando quidem cum in primitur rei cuiq; ima
go in memoria. prius necesse est ut adsit res ipsa. unde illa
imago possit imprimi. Sic enim kartaginis memini. sic
omnium locorum quibus intersui. sic faciem hominum quas uidi
ceterorum sensuum nuntios. sic ipsius corporis salutem. siue
dolorem cum presto esset ista. cepit ab eis imagines memoria
quas intuerer presens. et retractare animo. cum illa ab
sentia reminiscerer. Si igitur per imaginem suam. non per se ipsam
in memoria teneret obliuio. ipsa utique aderat. ut eius
imago caperetur. Cum autem adesset. quomodo imaginem suam
in memoria describebat. quando id etiam quod iam
notatum inuenit presentia sua deleret obliuio. Et tamen
quocumq; modo licet sit modus iste incomprehensibilis et
inplicabilis. etiam ipsam obliuionem meminisse me certum
sum. quia id quod meminerimus obruitur. Magna uis est
memorie nescio quid horrendum domine. profunda et im
finita multiplicitas. et hoc animus est et hoc ipse ego sum.
Quid igitur sum domine. Que natura sum. uaria. multi
moda uita. et immensa uehementer. Ecce in memorie
mee campis et antris. et cauernis innumerabilibus atq;
innumerabilitate plenis. innumerabilium rerum generibus.
siue per imagines sicut omnium corporum. siue per presentiam sicut
artium. siue per nescio quas notiones. vel notationes. sicut
affectionum animi. quas et cum animus non patitur memo
ria tenet. cum in animo sit quicquid est in memoria.